

potest subvenire indigenti. In magna autem necessitate solum potest religiosus succurrere pauperem ex consensu probabili Superioris, dum iste adiri non potest sed postea tenetur illi facti rationem reddere.

140. Similiter monachus iter faciens, vel extra monasterium degens, poterit ex his, quæ sibi ad victum, vel ad usus honestos, vel aliunde accipit ad suam peculiarem utilitatem, aliquas parvas eleemosynas facere juxta consuetudinem suæ religionis, præcipue si proprium peculium habeat ex licentia Superiorum, quod licet a sacris canonibus, & concilio Tridentino severe prohibeatur omnibus religiosis, ex necessitate tamen aliquibus permittitur. Dicitur casibus exclusis, nullus religiosus sine Prælati consensu expresso, vel probabiliter præsumpto, eleemosynas facere valet: quia per votum paupertatis omni dominio caret. Nec aliud religiosæ paupertati congruit, nisi quod a ministro deputato per Superiorem eleemosynæ monasterii distribuatur. Caveant vero cæteri, ne sint paupertatis rei. D. Thom. 2. 2. q. 32. a. 8. ad 1.

141. Inquires 3. An regularis beneficiarius teneatur superflua beneficii in pauperes expendere? R. quod regularis beneficiarius, nec dominium, nec usum fructuum liberum beneficii habet, nisi dependenter a voluntate Superioris, qui redundantia ex beneficio tenetur impendere in causas pias juxta decreta sacrorum canonum, & Tridentini. Ipse autem beneficiarius, sive perpetuus, sive ad nutum amovibilis debet ex consensu expresso, sive probabiliter præsumpto sui Superioris aliquas facere eleemosynas in loco beneficii, si in eo extra monasterium degat serviens Ecclesiæ. Hoc intelligitur de jure: si vero, ut contendit Pellizarius cum aliis, Pontifex aliter disposuerit, tribuens regulari beneficium, & ejus plenam administrationem in perpetuum, tenebitur regularis omnia superflua pauperibus erogare.

142. Religiosi assumpti ad Episcopatum tenentur potiori ratione omnia superflua in pauperes, & pias causas distribuire: quia licet voto paupertatis adstricti maneant, nec ullo gaudeant do-

minio, habent tamen plenam, & absolutam sui Episcopatus administrationem independentem a voluntate Superiorum ordinis, a quorum obedientia eximuntur per assumptionem ad Episcopatum.

PUNCTUM IV.

De quibus bonis facienda est eleemosyna?

143. R. faciendam esse ex propriis, & non ex alienis; quia datio eleemosynæ est actus domini, ergo ex propriis facienda est. Imo non sufficit, quod bona sint propria, sed ulterius requiritur, quod habeat quis bonorum administrationem non impeditam, aut legibus prohibitam. In extrema autem necessitate potest fieri eleemosyna ex alienis, si propria non habeantur. D. Thom. ibi in corp.

144. Inq. 1. An qui simul habet bona propria, & aliena possit extreme indigenti subvenire ex alieno, reservatis propriis? R. neg. quia habens proprium tenetur eleemosynæ; sed eleemosyna faciendæ est ex propriis, cum habeatur, ergo nequit facere de alieno. Unde qui in tali casu ex consilio aliena insumeret, pariendo propriis, ad restitutionem teneretur; quia præsumitur dolus, & sine justa causa accipit alienum.

145. Inq. 2. An ex injuste acquisitis possit fieri eleemosyna? R. si bona acquirantur in mercedem alicujus actionis illicitæ, ut occisionis, fornicationis, & similibus sunt materia eleemosynæ: quia per tales actiones acquiruntur dominium. Si vero acquirantur furto, rapina, aut usura, & res in specie maneat, nequit ex ea eleemosyna fieri extra necessitatem extremam. Si autem res in specie non existat, & alias ex largitione eleemosynæ impotens non fiat ad restitutionem, potest eleemosyna impertiri: quia tunc ex propriis, & absque alterius damno eam quis facit. Ita D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 7.

146. Ex bonis fisco additis ob aliquod delictum potest eleemosyna fieri: quia ante sententiam judicis non privatur dominio suorum bonorum, proindeque potest ex eis eleemosyna fieri: dummodo non fiat in fraudem fisci. Illi etiam, qui

cum

cum pecunia furata, vel per usuram acquisita ludendo, aut per industriam alias lucrifaciunt, vel acquirunt, possunt ex istis eleemosynam facere: quia verum eorum dominium acquirunt.

147. Objic. 1. Deuteronom. 23. Non offeres mercedem prostibuli in domo Dei tui: ergo ex turpiter acquisitis nequit fieri eleemosyna. R. negando conseq. quia in Ecclesia Dei non admittitur oblatio ex turpiter acquisitis: tum propter scandalum: tum propter sacrorum reverentiam; non tamen prohibetur ex illis fieri eleemosyna, aut donationes. D. Thom. ibid.

148. Objic. 2. Lucæ 16. dicitur: Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis. Ergo potest fieri eleemosyna ex ablatiis, aut usura acquisitis. R. ex D. Thom. loc. cit. ad 1. Sicut Augustinus dicit, illud verbum Domini quidam male intelligendo, rapiunt res alienas, & aliquid inde pauperibus largiuntur. & putant se facere, quod præceptum est. Intellectus iste corrigendus est. Sed omnes divitiæ iniquitatis dicuntur, quia non sunt divitiæ iniquæ, nisi iniquis, qui in eis spem constituent. Id est occasionaliter, quia, ut in plurimum, iniquis sunt occasio iniquitatis.

PUNCTUM V.

Quibus pauperibus eleemosyna largienda sit?

149. Pauperes sunt in triplici differentia. Alii sunt necessaria egestate, alii ex prava voluntate, alii ex pia voluntate. Primi patiuntur inopiam, quia nec labore, nec industria ab illa se liberare valent. Secundi tolerant egestatem, quia laborare noluunt, sed otio, & pigritiæ se tradunt. Tertii sunt religiosi, qui Christum Dominum, & Apostolos imitantes, voluntariam paupertatem profitentur. De istis sermo erit puncto sequenti, in hoc autem de reliquis.

150. Dicendum est, eleemosynam dandam esse omnibus pauperibus sive justis, sive injustis, amicis, & inimicis, fidelibus, & infidelibus, vivis, & defunctis: quia omnes sunt proximi, ad quos debet se extendere caritas, & miseri-

Tom. I.

cordia, ergo omnibus succurrendum est juxta gradum, & modum, quem prædiximus agentes de ordine subveniendi proximo. Verum si tibi certo constaret, aliquem proprio labore sibi victum comparare posse, non debes illi subvenire, ne eleemosyna vertatur in otium, & ignaviæ fomentum. Nemo tamen absque evidenti fundamento præsumere potest, pauperes sibi obvios esse vagabundos: quia caritas non cogitat malum. Et præstat ex errore eleemosynam sæpius dare non egenti, quam semel negare indigenti. Examen hujusmodi pertinet ad Magistratum, qui eis prohibere debent, quod postulent, cogereque, ut inserviant edificiis publicis, agrorum cultura, vel alteri ministerio sibi congruo.

151. Inq. 1. An hostibus reipublicæ danda sit eleemosyna? R. negat. adhuc in extrema necessitate: quia esto etiam inimicis teneamur benefacere; non tamen in casu, quo in sua malitia contra nos ea ratione foverentur, vel fierent potentiores ad nostrum detrimentum. Unde, nec tempore indutiarum cum prædicto timore, tenemur eis subvenire. Si autem prudenter credatur non amplius nobis, nec reipublicæ graviter nocituros, potest, & debet hostibus eleemosyna impendi.

152. Inq. 2. An qui simulans se pauperem accipit eleemosynas, peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur? R. affirm. & quidem omnes supponunt peccare mortaliter, supposita gravitate materiæ, ut qui parvis eleemosynis ad notabilem quantitatem pervenit, quia dolo extorquet gravem quantitatem, & veris pauperibus injuriam infert: ex qua ratione aperte sequitur teneri ad restitutionem, quia injustitiam inferens alteri per dolum, aut fraudem tenetur ad restitutionem; sed ita se gerit pauper fictus, ergo ad restitutionem tenetur. Deinde, qui per dolum, aut fraudem impedit alium, ne accipiat, quod ei donaretur, juxta omnes tenetur ad restitutionem; sed ita se habet pauper simulatus, ergo tenetur ad restitutionem.

153. Objic. 1. in largitione eleemosynæ causa principalis est Deus: fit enim propter Deum, miseria vero pauperis est causa impulsiva; sed, stante causa prin-

Ee

ci

capali, validus est actus, licet deficiat causa impulsiva: ergo. R. 1. instando argumentum in elemosyna notabili donata fecto Episcopo, aut Magnati: in qua etiam causa principalis est Deus, & nihilominus juxta omnes restitutiones est propter dolum, & errorem. R. 2. Deum esse causam generalem elemosynæ, peculiarem vero sublevationem paupertatis: qua deficiente, actus est nullus propter errorem substantialem.

154. Objic. 2. In parvis elemosynis interpretari voluntatem donantis non esse, quod restituantur: ergo. R. quod si hoc constaret, procul dubio non teneretur pauper fectus ad restitutionem: quia tunc esset absoluta donatio; dum vero hoc non constat, admittendæ non sunt interpretationes benignæ in favorem fraudum, & pauperum fectorum, sed cogere eos ad restituendum, quod dolose acceperunt, vel domino, si elemosina fuit magna, vel pauperibus veris, si fuit in parva quantitate pluries repetita.

155. Veri autem pauperes, qui ut ampliore elemosynam accipiant, simulant sanctitatem, cognitionem, amicitiam, aut ejulatibus, & clamoribus majorem inopiam exaggerant, aut pigritiam, & cupiditatem causa illam postulant, licet peccent mentiando verbis, aut signis, non tenentur ad restitutionem: quia paupertas vera est, & subsistit causa principalis elemosynæ.

156. Inq. 3. An tenearis subvenire avaro indigenti, qui nihil ex suo vellet insumere? R. si vere indiget ex depravata avaricia, & miseria, teneris illi succurrere, quemadmodum si quis ex animi infirmitate, vel cæca passione se vellet suspendere, vel in flumen dejicere, tenemur illum avertere. Sed in dicto casu ex bonis ipsis avari, si fieri potest, subveniendus est: alias ex propriis, cum jure tantumdem ab illo exigendi. Regulariter avarus non pauper potius est reprehendendus, & corrigendus, quam subveniendus.

157. Inq. 4. Quomodo se gerere debeat ille, cui testator aliquid relinquit distribuendum inter pauperes? R. 1. si aliquam pecuniam relinquit distribuendam inter pauperes, non potest totam illam unico pauperi donare: quia inju-

riam faceret aliis. Potest inter pauperes computare se ipsum, & consanguineos, si vere pauperes sint. Si pecunia relicta sit determinatis pauperibus, vel aliquos civitatis, nequit aliis, nec alterius civitatis distribui. Hinc legatum factum pauperibus concurrentibus ad portam testatoris, non potest infirmis existentibus in hospitali distribui. Similiter, quod relictum est pauperibus verecundis, vulgo *enverganzantes*, non licet donari illis, qui ostentim postulant, nec hospitalibus, nec religiosis mendicantibus.

158. R. 2. quod semper, ac voluntas testatoris possit adimpleri in specifica forma, & ad litteram, debet ita fieri. Unde legatum relictum ad nubendas orphanas, veris orphanis tribuendum est: isis autem deficientibus, potest dari foeminis, quæ parentes habent inutiles, & nihil ipsis deservientes: quia tales parentes vere sunt, quasi non essent. Quando certa pecunia relinquatur pro dotandis absolute foeminis, potest, & debet tribui, etiam illis, quæ relicto seculo, religionem ingredi velint; imo tota portio assignata pro unaquaque, illis tradenda est: quia meliorem statum amplectuntur, consultiusque rationabilem testatoris voluntatem adimplent: maritatur enim Christo Domino, ad quod supponuntur dote iadigere, ut dicemus fusius *tr. 20.*

PUNCTUM VI. Q.

De mendicitate religiosa.

159. Inq. 1. An mendicitas religiosa sit laudabilis? R. affirm. constat ex auctoritate Ecclesiæ, quæ approbat religiones mendicantes, & laudat eos, qui suis elemosynis favent religiosis. Imo quatuor titulis elemosyna eis præ aliis pauperibus debetur. 1. quia ad exemplum Christi, qui cum esset dives, egenus pro nobis factus est, religiosi abdicatione temporalium domino paupertatem profitentur. 2. quia religiosi, præcipue mendicantes, sedulo fidelibus in spiritualibus deserviunt. 3. quia pro eis fundere continuas preces non cessant. 4. quia in eroganda elemosyna pauperes meliores regulariter sunt præferendi, religiosi autem virtutis, & perfectionis statum præ aliis,

Cap. II. De elemosyna, & correctione fraterna.

alii, sine dubio profitentur. Vide D. Th. 2. 2. q. 187. art. 4. & 5.

160. Nec obstat, quod legibus Regni, sacris canonibus, & a Tridentino, sess. 21. de reform. cap. 9. prohibentur questores elemosynarum: quia locuntur de questoribus, qui non semel falsas reliquias, & indulgentias prædicando, campanulam pulsando, & aliis signis vanis, & apocriphis pecuniam extorquebant, uti declaravit Pius V. & postea anno 1621. S. congregatio decerneos, fratres mendicantes non posse impedi ab Episcopis, quod in Diocesis, ubi conventus habent, elemosynas quaerant. Si vero extra propriam Diocesim postulare velint, suorum Superiorum licentiam ostendere debeant. Sixtus IV. in Bulla *Mare magnum* severe prohibet, ne aliquis Carmelitis, & aliis mendicantibus elemosynæ postulationem impedire audeat sub poena excommunicationis majoris late sententiæ, & quod secus facientes Inquisitoribus, ut hæretici, denuntientur. Novissime Clemens X. in Bulla *Exponi nobis*. Die 13. Martii anno 1674. præfatam Sixti sanctionem, a Jampque sacræ congregationis declarationem in favorem mendicantium confirmans, indulget Carmelitis Discalceatis posse elemosynam postulare quacumque die, licet in eodem concurrant alii mendicantes, qui, putantes se priores esse debere, oppositum contendebant.

161. Ut autem communi edificatione qua par est, religiosi semper procedant, nunquam sine licentia in scriptis a suis Prælati habitæ, ad postulandum exeant, ut si opus fuerit, libenter illam collibet exhibere valeant. Neque textra districtos consuetos, & a Superioribus assignatos progrediantur, nec postulent: quia secus facientes ad restitutionem tenentur secundum qualitatem elemosynæ, quæ ad aliam communitatem pertinet. Nullis religiosis, etiam mendicantibus, licet postulare elemosynas per seculares, vel oblatos, nisi solum per fratres ordinis. Hospitalariis sancti Antonii Abatis permissum est cum campanula elemosynas colligere ex declaratione S. congregationis.

162. Inq. 2. An religiosi mendicantes possint recipere elemosynas frumen-

tis, aut vini, aut æqueam. Parochus primitias, vel decimas percipiat? R. affirm. Prob. 1. ex decreto S. congregationis Concilii ad instantiam rectoris Bononiensis die 2. Junii 1620. quam refert Barbosa *lib. 3. de jur. eccl. cap. 25. n. 7.* An regulares possint recipere triticum, uvas, ligna, & similia, antequam Parochus receperit suas primitias? *Et respondit: non esse id prohibitum regularibus.* Prob. 2. ex alia sententia data in judicio contradictorio, quam Leander a sacramento restatur, suo tempore protulisse in favorem regularium Illustris Julium Rospigliosium Hispaniarum Nuncium protegendo regulares in consuetudine recipiendi elemosynas in aris ex cumulo ante decimationem.

163. Prob. 3. ratione: quia consuetudo sic faciendi rationabili causa fultitur: ergo rationabilis, & licita est. Antecipat: quia religiosi mendicantes sedulitate, ut diximus, deserviunt fidelibus in spiritualibus. Ipsi enim pro auxiliandis mortuis nocte, ac die inenarranter assistunt. Similiter pro confessionibus audiendis continuo additi sunt. Ex quo non parum levamen, & solatium resultat bonis Parochis: Imo ipsi Parochi suadent suis ovibus, ut ad exonorandas plenius conscientias quarant regulares, ad quos etiam rex oppidis vicinis devotè, & non semel tamatum conflunt: ergo cum æquum sit participantes in labore, etiam aliquid participent in mercede, præfata consuetudo fidelium dandi ex cumulo elemosynas regularibus in sui obsequium spirituale laborantibus, rationabili causa fultitur, ubi non adsit peculiare jus, seu lex in oppositum.

164. Certum est tamen, quod, seculis consuetudine, ante omnia tenentur fideles decimas integre solvere computando portiones, si quas ex cumulo extrahunt ad elemosynas largiendas. Nam aliud est, fideles teneri ex rigore decimas fructuum integre solvere: aliud valde diversum, posse ex consuetudine elemosynas in arca ex cumulo regularibus erogare: quia etiam ipse decimæ juxta diversas consuetudines diversimode plus, aut minus solvantur. Romæ enim, licet adsint octoginta duz Parochiæ, nullè eis de vino, oleo, frumento, aut aliis fructibus

tibus solvantur decimæ ex antiqua consuetudine.

PUNCTUM VII.

De correctione fraterna.

165. Inq. 1. Quid sit correctio fraterna? R. est admonitio proximi, qua nitimur eum a peccato revocare. Appellatur tum correctio, tum correptio, sed quoad præsens in idem recidunt: quia utraque est eleemosyna spiritualis, & secundus effectus exterioris caritatis. Correctio est fratris ad fratrem; correptio vero Prælati ad subditum.

166. Inq. 2. Quotplex sit correctio? R. est duplex, nempe *judicialis*, & *fraterna*: illa est, quæ ordinatur ad punitionem; ista tantum ad emendationem delinquentis. Prima est actus justitiæ vindicativæ, & solum atinet ad Superiorem. Secunda est actus caritatis, & misericordiæ, & potest fieri a quolibet particulari, de qua in præsentibus.

167. Inq. 2. An detur præceptum naturale, & divinum positivum correctionis fraternæ? R. affirm. quia ex ipso præcepto naturali caritatis, & misericordiæ tenemur impedire malum proximi, dum commode possumus; sed ad hunc finem ordinatur correctio fraterna: ergo. Unde obligat non solum fideles, sed etiam infideles. Obligatio hæc patet etiam ex *cap. 18. Matthæi. Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum.* Ergo datur etiam præceptum divinum positivum. Quæ quidem obligatio est gravis ex genere suo: & solum potest ejus omissio esse venialis ex inadvertentia, aut parvitate materiæ. Hoc præceptum est affirmativum, id est licet semper obliget, non tamen pro semper, sed data occasione, & opportunitate, quod commune est omni præcepto affirmativo.

168. Inq. 3. Quot condiciones requirantur, ut obliget hujusmodi præceptum? R. quatuor. 1. notitia peccati gravis proximi. 2. spes emendationis. 3. opportunitas personæ correctæ, & temporis. 4. congruentia personæ corrigentis. Quas condiciones, & ordinem a Christo Domino designatum quinque paragraphis explanabimus.

§. I.

Notitia peccati.

169. Inq. 1. Quæ peccata sint materia præcepti correctionis? R. materiam hujus præcepti esse generaliter peccata mortalia: quia finis correctionis est lucrari fratrem juxta illud: *Si te audierit, lucratus es fratrem tuum*: in quo supponitur fratrem perisse, quod non fit nisi per peccatum mortale: ergo. Peccata autem venialia, si ex natura sua viam parent ad mortalia, ut ingressus ad suspectam domum, familiaritas cum mulierculis, etiam cadunt sub præcepto correctionis propter periculum, aut scandalum. Venialia vero, quæ simile periculum non afferunt, dum sunt habitualia, & ex plena deliberatione tenentur sub veniali corrigere: quia per illa patitur homo quamdam miseriam spirituales, quam impedire debemus, si commode possumus. Alia tamen venialia, quæ ex fragilitate, aut inconsideratione procedunt, nec sub levi corrigere tenemur, sunt enim plurima, essetque alienum a prudentia illorum continua correctio.

170. Inq. 2. An Magistratus, & Prælati teneantur corrigere peccata venialia? R. quod Superiores sæculares, & Magistratus non tenentur corrigere peccata venialia, nisi aliqua, ex quibus pax reipublicæ turbaretur: ut ex frequenti ludo, computatione, vel ex immoderato vestium luxu, & aliis similibus: quæ dispendium imminerent bono communi, quia ipsis commissum est impedire mala, non spiritualia, sed temporalia, quæ pacem, & tranquillitatem civilem, & politicam perturbare possunt. Circa peccata vero graviora præcavenda solliciti debent invigilare.

171. Prælati autem ecclesiastici, & præcipue regulares tenentur sub gravi corrigere peccata etiam venialia, & transgressionem leves, quibus paulatim observantia religiosa labefactatur: quia eis ex officio incumbit invigilare salutem, & perfectionem subditorum; necnon splendori, & augmento disciplinæ monasticæ, quæ in dies per leves defectus, si non corrigantur, languescit. Itaque Prælati regu-

gularis videns frequentes legum transgressionem, quæ, licet ex se peccata nec graviora, nec levia sint, viam parant relaxationi, & religionis nocuimento, graviter delinquit, si dissimulet, aut serio, & opportune non corrigat. Neque excusari valet dissimulatio prætextu pacis, numquam enim pax est bona sine justitia. Consultius est bono bello repellere relaxationem, quam pace mala illam fovere. Hoc intelligitur de defectibus obviis, & publicis: nam occulti non adeo nocent aliis, neque observantiæ regulari, nec tenentur Prælati eos sub gravi corrigere.

172. Inq. 3. An peccatum præteritum sit materia correctionis? R. quod si peccatum est omnino emendatum, & per poenitentiam abolitum, non est materia correctionis fraternæ, quia deficit ejus finis, qui est emendatio, ad distinctionem judicialis, cujus finis est puniatio. Verum si peccatum præteritum non est omnino emendatum, licet absit periculum relabendi, est materia correctionis: quia peccatum commissum, plusquam committendum præcipitur corrigere: Christus enim dixit, *si peccaverit, corripe*: ergo loquitur de peccato præterito. Deinde, qui est in peccato mortali, gravem patitur necessitatem spirituales: ergo tenemur illi subvenire per correctionem, quæ est eleemosyna spiritualis.

173. Objic. 1. Incertum est, an peccator ex nostra correctione poenitentiam acturus sit: ergo incerta est spes emendationis. Deinde incertum est, an peccator egerit poenitentiam, proindeque an permaneat in statu peccati, ergo non tenemur illum admonere, aut corrigere. R. Nos debere præsumere de proximo, sentireque acturum poenitentiam; alias vix correctio faciendæ foret. Ad additionem dicimus, quod si nobis non constat, proximum permanere in statu peccati, non est casus quæstionis, sermo enim est de eo, quem scimus esse in statu peccati.

174. Objic. 2. Delinquens solum tenetur poenitere de peccato commissio, quando instat confessio, vel saltem non tenetur ad statim poenitendum: ergo nec alius adstringitur illum corrigere; cum non sit major obligatio corrigendi alterum, quam se ipsum. R. argumentum

Tom. I.

nihil probat in mea sententia asserente, peccatorem teneri ad statim conteri: sed neque in sententia opposita aliquid convincit: quia non semel tenemur potius alteri subvenire, quam nobis, quoniam bonorum suorum spiritualium quilibet est dominus, minime vero bonorum alterius. Potest quisque pati gravem necessitatem ex motivo virtutis, cui tamen in proximo subvenire debemus: ita pariter, licet quisque non teneatur statim poenitere de peccato suo, debet tamen alterum avertere ab illo. Vid. tract. 27. num. 15.

175. Inq. 4. Quæ notitia peccati requiratur, ut proximum corrigere teneamur? R. requiri notitiam moraliter certam, nec sufficere illam, quæ habetur per dubia signa, aut rumorem: quia proximus est in possessione suæ famæ, quæ injuste læditur, si levi suspitione ei crimen imputetur. Verum si peccatum dubium vergeret in damnum proximi, aut reipublicæ, vel communitatis, adessetque spes emendationis, etiam cum dubio, aut suspitione correctio faciendæ est. Quod extendunt aliqui ad Prælatos, quos dicunt posse cum sola notitia dubia peccata corrigere: quia ex officio debent super gregem suum vigilare, & de peccatis subditorum inquirere. Cæterum prudentius erit tunc, si eorum rumor in communitate spargitur, non in particulari, sed in communi ea animadvertere, & reprehendere suppresso nomine.

176. Inq. 5. An teneamur corrigere peccata ex ignorantia commissæ? R. 1. si peccata procedant ex ignorantia vincibili, apud omnes sunt corrigenda: quia ignorantia hæc a culpa non excusat. R. 2. quod si proveniant ex ignorantia invincibili contra jus naturale, & divinum, etiam abs dubio tenemur per se loquendo corrigere, seu admonere proximum: quia licet non peccet formaliter, peccat materialiter, quod non licet permittere, nisi ex gravi causa. Similiter peccata contra jus ecclesiasticum universale ex ignorantia sive juris, sive facti corrigenda sunt, dum commode fieri valet: quia ignorantia hæc grave malum est, cum bono gravi privet. Si denique peccata oriuntur ex ignorantia invincibili circa jus peculiare alicujus Dio-

Fff

cc-

cesis, aut oppidi, circumstantiæ expectandæ sunt, & cum opportunè adsint, ignorantem docere caritas præcipit.

177. R. 3. Prælatos, Parochos, Confessarios, & alios, quibus animarum cura incumbit, teneri ad corrigendos ignorantes quacumque ignorantia contra quodlibet jus, nisi ex aliqua justa causa respectivè excusentur: quia eorum potissimum munus est errantes corrigere, & ignorantes instruere in omnibus, quæ ad salutem spirituales spectant. Sed hæc quam pauci sunt, qui velint corrigi! Quam plures, qui correctionem reputant injuriam! Unde Prælati vix audent corrigere subditos, ne quærelis domum repleant, & ne ex ubi acetum, ac fel amarissimum sibi colligant.

§. II.

Spes emendationis.

178. Inq. 1. An si nulla detur spes emendationis, tenearis ad correctionem? R. neg. Ita D. Thom. 2. 2. q. 33. a. 2. & 6. ubi assignans distinctionem inter correctionem judicalem, & fraternam, de illa docet esse faciendam, quamvis non detur spes emendationis; de ista vero dicit esse omittendam: quia finis unicus correctionis fraternæ est proximi emendatio: hac ergo deficiente, deficit finis adæquatus legis, in quo casu nulla lex obligat. Verum licet pro tunc non detur fructus correctionis; si tamen decursu temporis speretur, utique faciendæ est.

179. Inq. 2. An requiratur spes certa emendationis, vel sufficiat probabilis? R. ex Angelico Doct. debere esse saltem probabilem, & minime requiri certam: Alias fere nunquam daretur casus, in quo urgeret correctionis præceptum: cum talis certitudo dependeat ex alterius voluntate, cujus actuum scrutator solus est Deus. Ideo cum hæc probabilis spes de omni Christiano concipere debeamus, non bene procedunt, qui negligunt, vel metuunt fratrem corrigere, causantes raram esse spem emendæ, cum tamen passim videamus plures emendatos ex fraterna correctione, de quibus parum sperabamus.

180. Inq. 3. An teneamur corrigere, dum adest dubium de correctionis eventu? R. Si æque de profectu, ac de nocumento timeas, correctio omittenda est: quia imprudenter agit, qui dubius se operationi morali committit. Si dubites de profectu, nihil timens de nocumento correctionem præstare debes: quia medicina sive corporalis, sive spiritualis, quam certo credis, non esse nocivam, & dubites an sit profutura, applicanda est.

181. In extrema necessitate obligat correctio cum dubio æquali fructus, aut nocumenti; quia nocumentum, quod ex omissione provenire potest in articulo mortis, est maximum, & irreparabile, ergo prævalet malo, quod ex correctione timeri queat. Concionator etiam, & publicus doctor tenetur vera prædicare, & docere, licet timeat aliquorum ruinam, exemplo Christi D. S. Joannis Baptistæ, & aliorum, quia talis admonitio ad bonum commune ordinatur, ideoque ob privatum damnum omitti non debet.

182. Inq. 4. An facta correctione sine effectu, plusquam tertio repetenda sit? R. Repetendam esse, inspectis circumstantiis, quoties salus proximi speratur: quia semper est in necessitate spirituali, ergo subveniri debet, quoties salutis spes effulget.

P U X T U M III.

Opportunitas personæ corrigendæ, & temporis.

183. Inq. 1. An subditi teneantur suos Prælatos corrigere? R. affirmative, ex D. Thom. 2. 2. q. 33. a. 4. quia correctio est actus caritatis, quæ ad omnes se extendit, ergo sicut Prælatos arctius diligere tenemur, ita eos admonere debemus. Triplex tamen circumstantia omnino observanda est in hujusmodi correctione. *Prima*, ut fiat cum magna humilitate, & mansuetudine, potius Prælatum obsecrando ut patrem, quam corrigendo ut delinquentem. *Secunda*, ut nunquam fiat in publico, nisi in aliquo casu raro: ut si falsum dogma seminaret, aut quid simile publice ageret, quod publica correctione indigeret. Ut in casu Pauli, qui publice in faciem restitit Pe-

§. IV.

Congruentia personæ corrigentis.

Petro. *Tertia*, quod quando hoc necessarium judicatur, fiat correctio a gravioribus, vel senioribus, & solum in defectu istorum a junioribus. Verum est, quod quædam humilis admonitio in occulto a quolibet potest fieri Prælato. Caveant autem concionatores, ne in publicis concionibus ullo modo Prælatos increpent, imò nec Sacerdotes inferiores: plurimum enim convenit edificationi fidelium, congruitque honori Prælatorum, & decori Sacerdotum, ut saltem in publico, non nisi debita reverentia nominentur. Sacerdotes sunt *Christi Domini*.

184. Inq. 2. An excuseris a præcepto correctionis, quando prævides ab alio faciendam? R. neg. quia ipsi, & tibi incumbit obligatio. Tunc solum liber esse poteris, quando scias certo ab alio sufficienter adhibendam fore. Si autem agnoscas tuam etiam correctionem, simul cum aliena, esse necessariam ad emendationem efficacius consequendam, teneris illam præstare.

185. Inq. 3. An quolibet tempore correctio faciendæ sit? R. Licet per se omni tempore sit adhibenda, tamen ex circumstantiis judicandum est, quando opportunus fieri debeat. Nam si delinquens aliqua sit recenti passione perturbatus, expectandum est tempus, in quo animi serenitas affulgeat. Quia sicut in corporalibus opportunitas temporis est aptissima, ut medicina operetur, ita in spiritualibus contingit. Unde potest, imò debet correctio differri, dum prudenter judicatur proximo utilior futura alio tempore. Si autem timeas illum lapsurum in alia crimina tempore intermedio, tunc aspiciendum est, an correctio noceret, vel proficeret, saltem aliquid: si primum, differri debet; Si secundum, adhibenda est. Aliqui sentiunt posse etiam differri correctionem eo fine, ut peccator lapsus in pejora delicta, & ignominia suffusus, ferventius postea resurgat. Sed in hoc caute est procedendum, & ex circumstantiis colligendum, & vix permittendum. In extrema necessitate nequit differri correctio, nisi certe nociva foret: quia amplius non erit tempus.

186. Inq. 1. Quando tenearis ad correctionem proximi, etiam cum damno corporali proprio? R. in extrema necessitate, seu in articulo mortis proximi tenemur ei subvenire per correctionem, etiam cum dispendio vitæ: quia necessitas extrema spiritualis proximi prævalet omni nocumento temporali. Unde si proximum videas in articulo mortis laborare ignorantia vincibili, aut invincibili alicujus veritatis necessaria ad æternam salutem, teneris, alio deficiente, illum docere, etiam cum periculo vitæ. Similiter, si aspicias hæreticum falsa dogmata evulgantem, catholicos pervertendo, debes cum vitæ dispendio te illi opponere ob bonum commune.

187. Cæterum in gravi necessitate non tenetur quis cum dispendio vitæ ad correctionem proximi, quia tunc amissio vitæ corporalis non est medium necessarium ad ejus salutem spirituale. Potest enim ipse peccator divino auxilio semetipsum corrigere. Prælati autem, & quibus ex officio incumbit, tenentur corrigere subditos in gravi necessitate spirituali, etiam cum periculo vitæ. Isti enim urgentius adstringuntur, quam ceteri, qui Prælati non sunt.

188. Inq. 2. An Superiores, & Prælati ex vi majoris obligationis ad correctionem teneantur inferiorum defectus inquirere? R. De correctione judiciali compertum est apud omnes, teneri Prælatos ad subditorum vitam, moresque sollicite inquirendum: tum per se ipsos, tum per alios caritate, justitia, & veritate præditos. Ex vi enim officii adstringuntur ad omnem diligentiam adhibendam, quæ necessaria sit ad illud recte obeundum. Similiter loquendo de correctione fraterna idem est de Prælati ecclesiasticis, & regularibus, quia Prælati hujusmodi incumbit peculiaris sollicitudo circa profectum spirituale subditorum, ergo ad hunc finem eorum mores, ac defectus tenentur inquirere. Verum si Prælati agnoscat potius turbationem, quam profectum ex hac inquisitione oriri, pru-

dentur se geret, omittendo illam. Regulariter enim, saltem in nostra sacra religione, abunde suo muneri satisfacit Prælati, si corrigat defectus obvios, vel sibi notos, deinde publicos, denique denunciatos in capitulo a fratribus, & etiam in refectorio a zelatore communi, qui apud nos singulis hebdomadis assignatur.

189. Pro aliis autem religionibus, ubi hæc subsidia fraternæ correctionis deficiunt, & etiam pro nostra, si aliquando opus fuerit, quinque regulæ, ut inquisitio hujusmodi congrue exercentur, communiter prescribuntur. 1. Quod teneantur Prælati adire loca, in quibus subditi delinquere solent, ut suo conspectu occasiones defectuum removeant. 2. poterit adhibere zelatores, viros quidem graves, & observantiores, qui aliorum crimina explorent, sibi que media caritate denuncient. 3. quod si ad Prælati notitiam perveniat, aliquem subditi indigere majori sollicitudine intra, vel extra conventum, ad eam proculdubio tenetur, assignando ei socium, vel zelatorem, ut ejus custodia attendat. 4. quod summopere renuant Prælati admittere speculatores leves, & spontaneos, obturentque gossipio, imo utraque manu aures suas, ne audiant fabellas eorum, qui ut hostes pacis, & insuflatores incendii sunt abigendi procul a communitate, 5. nunquam Prælati indicent, se subditis insidari, nec sint nimis suspiciosi, aut exactores: quia, qui multum emungit, elicit sanguinem. Subditis nullo modo est licitum, nisi accedente obedientia, aliorum defectus inquirere: alias pax reipublicæ, aut communitatis penitus turbaretur.

190. Inq. 3. An Prælati ecclesiastici graviter peccent corrigendo in peccato aliorum delicta? R. neg. nam status gratiæ corrigentis non habet connexionem necessariam cum emendatione alterius: nec correctio, sive judicialis, sive fraternæ ex natura sua gratiam deponit in subiecto, sicut elemosyna corporalis illam non exigit. Unde a fortiori sequitur, quemlibet privatum, licet in peccato existat, posse, & debere corrigere delinquentem, dummodo publicus peccator non sit: quo in casu dbeet

prius se, deinde alium corrigere. Ita Angel. 2. 2. q. 33. a. 5.

191. Inq. 4. An concionari in lethali sit culpa gravis? R. neg. quia concilio non est actio sacra, quæ statum gratiæ requirat, nec annexa per se ordini sacro, nec concionator facit, aut recipit sacramentum: quare, nisi esset peccator publicus, aut ratioe scandalum teneatur pecciter, non apparet, unde graviter delinquat docendo alios in peccato. Unde status gratiæ bonus est, sed non necessarius sub gravi ad prædicandum. Quidquid alii dicere velint, de quibus mirum est, quomodo non requirant necessario gratiam sanctificantem in subiecto ad audiendum sacrum, & cantandas in choro heras canonicas. D. Th. in 4. d. 19. q. 2. art. 2. ad 2.

S. V.

De ordine correctionis fraternæ.

192. Inq. 1. Quid nobis præcipiatur circa ordinem correctionis fraternæ Mat. th. 18? R. quatuor nobis præcipi. 1. quod si peccaverit occulte aliquis in nos, vel nobis scientibus, illum occulte corrigamus. 2. quod si correctio occulta non prodest, adhibeamus unum, vel duos testes, ut melius emendetur peccator. Si autem adhiberi commode possint testes conscii delicti, non sunt adhibendi ejus ignari. 3. si hæc non prosunt, dicamus Ecclesiæ, vel Prælato. 4. si Prælatum non audierit, sit nobis tamquam ethnicus, sive excommunicatus.

193. Hujusmodi ordo in correctione est de præcepto, non tantum de consilio, ut aliqui perperam putaverunt: quia licet in lege evangelica non sint alia præcepta positiva, nisi circa sacramenta, hic tamen ordo sub præcepto naturali caritatis clauditur; sed Christus Dominus ut mirabilis doctor caritatis voluit pressius explicare, quod lex naturalis obscure præcipit. Nam ipsa natura dicitur, corrigendum esse proximum minori damno famæ, quo possit, ergo si absque testium inductione, secreto corrigi valet, ipsa natura exigit, ut ita fiat. Deinde si unicuique testis sufficiat, ad quid duo sunt adducendi? Denique, si testibus

Cap. II. De elemosina, & correctione fraternæ.

bus adductis emendatur, cur Ecclesiæ, seu Prælati denunciandus est? Præceptum hoc, ut pote affirmativum, non obligat semper, & pro semper, sed debitis circumstantiis perpenis.

194. Inq. 2. An obliget prædictus ordo, dum judicatur Prælatum melius correcturum fore delinquentem? R. affirm. quia Christus absolute hunc ordinem præcipit. Deinde caritas obligat ad corrigendum proximum, non ad modum meliorem, ergo si per me ipsum corrigere possum, neque adire Prælatum. Si autem in aliquo casu raro, ut si ineptus esses ad corrigendum, vel alteri non displiceret, denunciari ad Prælatum spirituale, discretum, & sibi peccatum, non inficiamur ita fieri posse, omnia pro tunc fraternæ correctione.

195. Inq. 3. An liceat cedere juri correctionis fraternæ? R. Esto quilibet possit ob honestum finem cedere juri correctionis fraternæ: tamen alii tenentur proximum, juxta ordinem a Domino præscriptum, corrigere. Prob. quo ad primam partem, quia potest quis ob motivum honestum pati detrimentum vitæ, & salutis, ut certimus in religiosis, qui abstinent perpetuo a carnibus, & alia amplectuntur asperitatis genera contra ipsorum salutem, ergo etiam poterit quis cedere suæ famæ ob motivum virtutis, & consequenter juri correctionis fraternæ.

196. Prob. quoad secundam partem: quia perseverante fine correctionis, perseverat præceptum illius; sed licet quis cedat juri correctionis fraternæ, adhuc perseverat ejus finis, scilicet emendatio proximi, ergo etiam perseverat præceptum, seu obligatio correctionis. Hanc sententiam amplectuntur PP. Salmantic. & judicant in praxi sequendam. Nec oppositum Prælati aliqui præcipere valet juxta D. Th. 2. 2. q. 33. a. 7. ad 5.

197. Inq. 4. An in omnibus delictis ordo correctionis fraternæ servandus sit? Pro responsione nota 1. Alia peccata esse occulta, alia publica, quæ distinctio suo loco fusiùs explanabitur. Nota 2. quædam esse peccata in damnum solius peccantis, ut ebrietas, omissio sacri, & similia: Alia in damnum particulare tertii, ut furtum, homicidium, & con-

Tom. I.

tomelia: Alia in damnum commune, ut proditio civitatis, conspiratio, hæresis, seminatio doctrinæ falsæ contra fidem, aut bonos mores, & alia hujus generis. Quibus prænotatis.

198. R. 1. Ordo correctionis fraternæ obligat in peccatis occultis, quæ cedunt in damnum solius peccantis. Constat ex laudatis verbis Domini: *si peccaverit in te frater tuus, corrippe illum inter te, & illum solum*: quod potissimum intelligendum est de peccatis occultis in damnum solius peccantis, ut tenet communis sententia.

199. R. 2. In peccatis contra bonum particulare tertii, si verâ spes emendationis concipitur, secreto est corrigendus delinquens; secus vero si talis spes non concipitur, quia ordo caritatis postulat, quod innocens defendatur, & peccator corrigatur; sed hoc consequimur in primo casu per correctionem fraternam, & in secundo per denunciacionem ad Prælatum, ergo ita faciendum est. Unde si scirem Petrum velle interficere Joannem, aut ejus bona ladere, debeo, si adest spes emendationis, per me, aut per alios illum corrigere. Si autem hoc non sufficiat, teneor illum judici patri denunciare. Verum, si adhuc fructus non speratur, debeo innocentem in communi monere, ut sibi caveat. Denique si adhuc instat damni periculum, aggressor declarandus est nominatim innocenti, ut a judice auxilium postulet.

200. R. 3. Præfatum ordinem non obligare in delictis publicis. Ita D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7 ubi ex August. refert illud Apostoli ad Timoth. 5. *Peccantem coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant*. Ratio id ipsum suadet, quia publice peccans nullum jus habet, ut sibi secretum observetur, nec peccat in te, sed in omnes, cum omnibus scandalum præbeat, quantum est in se, ergo non occulte, sed publice est corrigendus. Si vero peccatum commissum fuerit coram duobus, aut tribus, adhuc non est publicum, ideoque secretae corripitur debet, similiter omne peccatum, quod a majori parte collegii, aut communitatis ignoratur.

201. R. 4. In peccatis, etiam occultis, Ggg tis,

tis, quæ cedunt in damnum commune, non obligare correctionem fraternam; sed statim denuncianda esse respectivo Prælato. *Primo*, quia extremis morbis extrema remedia sunt adhibenda. *Secundo*, quia talis peccans non est in te, ut dictum est de peccato publico, sed in bonum commune, quod cuilibet particulari damno præferendum est. *Tertio*, quia circa similia crimina vix spes emendationis concipi potest: ergo immediate Superiori denuncianda sunt. Quod quidem de hæresi, & de omnibus delictis, etiam occultis, quæ suspicionem hæresis generant, præcipue tenet ex decreto sanctæ Inquisitionis, & Alex. VII.

202. Inq. 5. An si religiosus committeret peccatum carnale, cederet contra bonum commune religionis, ac proinde Prælato immediate denunciandus esset? R. lapsum carnis exteriorem in religionis non esse absolute, & per se contra bonum commune religionis; posse tamen aliquando esse per accidens. Explicatur, & probatur assertio: Peccatum carnis in religioso, qui appetitu impellente, & occasione non quæsit, sed casualiter oblata, semel cecidit, cum alias bene moratus, & cautus sit, non est censendum aliorum infectivum, nec contra bonum commune religionis, ideoque secreto corrigi debet: quia valde probabilis spes emendationis concipi potest de viro aliquoquin circumspecto, qui potius ex fragilitate, & occasione impulsu, quam ex electione, & consuetudine labitur, ergo jus habet, ut secreta corrigatur.

203. Verum dictum peccatum in religioso parum cauto, & circumspecto, qui ex condito, electione, & occasione quæsit labitur, præcipue, si eorum sit, qui vagationibus superfluis, mulierum allocutionibus, munusculis, & epistolis recipiendis, aut mittendis sunt assueti, censendum est infectivum aliorum, & contra bonum commune religionis, proindeque immediate Prælato denunciandum: quia de similibus spes veræ emendationis concipi nequit, neque præsumi valet ex mera infirmitate peccasse, sed ex malitia, aut consuetudine. Utrumque est de mente D. Thom. in 4. dist. 19. q. 2. a. 3. ad 2. Ubi loquens de spe emen-

dationis dicit: *Hæc concipi potest, quando peccatur ex infirmitate, & occasione oblata labitur in carnis delictum: secus vero quando ex electione, & consuetudine delinquitur.*

CAPUT III.

De vitiis caritati oppositis.

AGimus in hoc capite de vitiis oppositis caritati, & in sequenti de scandalo, quod præ aliis ad intentum morale spectat, prævia luce D. Thom. qui de illis luculenter disserit 2. 2. q. 34. usque ad 44.

PUNCTUM I.

De odio Dei, & proximi.

204. Inq. 1. Quot sint vitia caritati opposita? R. sunt decem, nempe odium Dei, & proximi, accidia, seu acedia, invidia, discordia, contentio, schisma, bellum, rixa, seditio, & scandalum.

205. Inq. 2. Quid, & quotuplex sit odium Dei? R. Odium Dei est duplex, aliud generale, aliud formale. Odium generale, seu materiale adest in omni peccato, ut supra diximus. Odium Dei formale est aversio a Deo, qua voluntas illum detestatur, in quantum peccata prohibet, pœnasque infligit. Nam licet Deus in se inspectus sit summe bonus, & nequeat odio haberi: tamen ut apprehenditur causa effectuum pravæ voluntati repugnantium, vitia prohibendo, & pœnas condignas infligendo, hac consideratione apprehenditur infestis iniquis, a quibus proinde odio haberi potest. Hoc odium formale est etiam duplex, nempe abominationis, & inimicitie. Primum est, optare Deum non esse: secundum autem, optare Deo aliquid malum, est peccatum omnium gravissimum, & insuper dicitur peccatum in Spiritum Sanctum, quia ex certa malitia, & electione tendit contra divinam bonitatem. Unde solum ex defectu deliberationis potest esse veniale.

206. Inq. 3. Quid sit odium formale proximi? R. Est formalis malevolentia, qua expresse proximo malum exoptamus. Datur etiam odium generale proximi, quod

quod consistit, & reperitur in qualibet injuria, seu injustitia irrogata proximo, ut in furto, rapina, usura, & aliis peccatis in proximum, quæ absque ejus odio possunt committi. Non tamen constituit diversum peccatum, sicut odium formale, sed est transcendens in hujusmodi injuriis. Ipsum autem odium formale proximi potest esse, vel abominationis contra personam, & naturam ejus, vel inimicitie contra bona illius. Ex genere suo est peccatum mortale, quia directe opponitur caritati proximi. Pluries autem est veniale, tam ex defectu deliberationis, quam ex parvitate materiæ, ut dum quis proximo exiguum malum exoptat. Aliquando licitum est optare proximo malum corporale ob majus bonum spirituale ipsius, vel ob alia motiva. Odium proximi distinguitur specificè ab odio Dei, quia hoc directe offendit bonitatem divinam, illud vero bonitatem creatam: quod sufficit ad refundendam in talia peccata distinctionem specificam, imo & genericam, cum habeant objecta etiam genere diversa.

207. Objic. Actus, quo diligimus proximum, non differt specie ab actu, quo diligimus Deum: ergo similiter dicendum est de actu, quo odio habemus proximum, & Deum. R. neg. conseq. disparitas consistit in eo, quod respectu dilectionis proximi bonitas divina est motivum formale, & ratio intrinseca; respectu odii proximi ratio intrinseca, & motivum formale est malum proximi, quod per se optatur a prava alterius voluntate. Verum est, quod si odium proximi procederet ex odio Dei, esset ejusdem speciei, sed hoc odium potius est Dæmonium, quam hominum.

208. Inq. 4. An odia in proximum distinguantur specificè juxta diversitatem malorum, quæ exoptantur? R. quod licet omnia odia conveniant in ratione communi odii, desideria, quæ proveniunt ex odio, distinguuntur juxta diversitatem specificam moralem malorum, quæ desiderantur; quia actus voluntatis sumunt suam speciem ab objectis, ergo distinguuntur juxta eorum diversitatem: ergo desideria terminata ad objecta speciei diversa specie distinguuntur. *Confirmatur*: quia velle, & facere aliquid in

moralibus sunt ejusdem speciei, ergo sicut ex odio faciens rapinam, vel homicidium diversa specie peccata committit, ita ex odio desiderans illa.

209. Nec valet recursus ad differentiam desiderii simplicis, & efficacis: quia complacentia de homicidio ad speciem homicidii pertinet, sicut complacentia alienæ conjugis ad speciem adulterii, quamvis desideria efficacis non sint: non alia ratione, nisi quia actus interni sunt ejusdem speciei, ac externi, eodemque præcepto, quo isti prohibentur, vetantur illi.

210. Objic. 1. Omnia nocumenta proximo irrogata conveniunt in ratione communi mali, quod est deformali ad odium, sicut omnia beneficia in ratione communi beneficentiæ, sed non dantur beneficiæ specie diversæ, ergo nec odia. R. ex D. Thom. 2. 2. q. 31. art. 4. ad 2. *Quod sicut omnia beneficia proximi exhibita in quantum considerantur sub communi ratione boni, reducantur ad amorem, ita omnia nocumenta, in quantum considerantur secundum rationem mali, reducantur ad odium. Prout autem considerantur secundum aliquas rationes speciales, vel boni, vel mali, reducantur ad aliquas virtutes, vel vitia.* Igitur licet desiderans proximo malum in communi, vel omne malum, committat solum peccatum odii: desiderans tamen ex odio malum particulare mortis, rapinæ, aut furti, duplex committit peccatum, nempe odii, & injustitiæ. Quod verum est, etiam si ad prædicta desiderium tantum simplex terminetur.

211. Objic. 2. Omnes invidiæ sunt ejusdem speciei, ergo similiter odia. R. quod invidia est mater legitima odii, & odium primogenitum invidiæ, licet plerumque ex aliis capitibus proveniat, ut ab ira, & veritate; ideoque idem dicimus de invidia, ac de odio. Itaque omnis invidia de bono proximi est ejusdem speciei, sicut omne odium terminatum ad malum proximi in communi. Verum invidia de bono particulari diversificatur juxta distinctionem specificam moralem bonorum, de quibus prava voluntas tristatur. Si autem invidia sit de bono spirituali proximi, ut a Deo collato, est apud omnes distinctæ speciei ab